

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1063

1061

1067

1057

1072

1052

1112

1012

0962

0562

0062

Ende

Anfang

490

**(56 a)** De sepulchro beatissimae virginis S. Catharinae  
et de sacrosanctis ejus reliquiis et quo ordine ostenduntur dominis peregrinis christianis et quid hodie sit  
de miraculo olei, quod dicitur de ejus tumba effluere,  
et de translatione corporis S. Catharinae et rubo  
Moysis et aliis locis indulgentiarum ejusdem ecclesiae,  
per totum caput illud.

Die XXVI. statim transacta media nocte dicto officio ad  
Missas legendas nos disposuimus et milites saeculares se  
disposuerunt ad sacram communionem. Erat enim sexta feria  
et alia die, ut sperabamus, instabat recessus noster. Dictis  
ergo matutinis et primis audivimus militum sociorum nostrorum  
confessiones et successive in capella nostra celebravimus et  
peregrinos saeculares paene omnes communicavimus. Interea  
cum clara facta esset dies, descendimus in S. Catharinae  
ecclesiam ad videndum ejus sacras reliquias. Nobis ergo in  
ecclesia exsistentibus venit pater monasterii cum omnibus suis  
monachis, gestantes in manibus singuli candelas ardentes; sic  
et nos peregrini omnes ardentes cereas in manibus habuimus  
et hinc et inde tumbam S. virginis circumstetimus. Accessit  
ergo sacrista conventus cum clavibus et seras tumuli conatus  
est aperire, sed non potuit, quia tam serae quam claves to-  
taliter rubigine erant infectae et indispositae, tandem autem  
cum adjutorio aliorum fratrum magna vi et labore seras ape-  
ruerunt et tumbam sacri corporis patefecerunt. Amoно ergo  
operculo tumbae marmoreo incepérunt monachi cantare quan-  
dam antiphonam, cantu et verbis graecis, in quo nihil penitus  
intelligere poteram, nisi apostoli et martyres; haec duo no-  
mina repetitis vicibus cantabant inter alia, idem autem et  
apud Graecos et apud Latinos sonant et significant et de graeco  
in latinum sunt assumta. Porro ipsis cantantibus accessit  
pater monasterii ad loculum et facta profunda inclinatione  
ascendit ad tumbam, quae in altiori loco posita est et capite  
in tumbam immerso deosculabatur divinae sapientiae gazophylac-  
tum, sacrum virginis caput, et erigens mansit ibi stare ad  
caput tumbae. Post eum omnes monachi accesserunt;

